

occidere, etc., non alia poenâ quam mortis satis vindicantur; solum enim ipsa aufert omnium bonorum temporalium possessionem et reddit impossibilem fruitionem.

159. Obj. 1.^o Solus Deus est Dominus vitae et mortis (1): *Ego occidam et ego vivere faciam*. Ergo non licet publicae auctoritati, etc.

Resp. Dist. *antec.* Solus Deus est Dominus vitae et mortis, absolutus et independens; conc. Respective et dependenter ab ipso; neg. vel subdist. Si non adest justa et naturalis causa mortis inferendae; conc. Si adest ut in casu theseos, injustae aggresionis, etc. neg. Ipse enim solus Dominus vitae et mortis est etiam auctor ordinis naturae, qui aliquando permittit, aliquando exigit nocentes a publica auctoritate occidi.

Obj. 2.^o «Occidere hominem secundum se malum est, quia ad omnes homines tenemur charitatem habere... Ergo nullo modo licet hominem peccatorem occidere.»

Resp. Dist. *antec.* Occidere hominem innocentem, et nocentem sine proportionata causa, secundum se malum est; conc. Occidere nocentem cum proportionata causa; neg. «Homo peccando ab ordine rationis recedit; et ideo decedit a dignitate humana, prout scilicet homo est naturaliter liber et propter seipsum existens; et incidit quodammodo in servitutem bestiarum, ut scilicet de ipso ordinetur secundum quod est utile aliis, secundum illud (2): *Homo cum in honore esset non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis*: et Proverb. (3) dicitur: *Qui stultus est serviet sapienti*. Et ideo quamvis hominem in sua dignitate manentem occidere sit secundum se malum, tamen hominem peccatorem occidere potest esse bonum sicut occidere bestiam. Pejor enim est malus homo quam bestia et plus nocet, ut Philosophus dicit (4).»

SCHOLION.

An iudex possit damnare juridice probatum reum, si privata scientiâ novit eum innocentem.

160. Quaestio movetur praecipue de causis criminalibus majoribus in quibus agitur de mutilatione aut morte; nam in aliis minoribus, ubi solum est periculum poenae pecuniariae, exilii, etc., potest iudex ferre sententiam juxta allegata et probata, licet privatim sciat reum esse innocentem, dum ejus innocentia probari non potest. Ratio est, quod ad bonum commune valde expediat, ut iudices sequantur notitiam publicam; et aliunde Respublica possit ad

(1) Deuter. XXXII, 39.—(2) Ps. XLVIII, 21.—(3) XI, 29.—(4) I, Politic. c. 2, 7, Ethic. c. 6, ex D. Thoma. 2, 2, Q. 64, a. 2.

bonum commune disponere de similibus bonis suorum subditorum, ac merito censi possit, dictam facultatem in casu nostrae conclusionis quantum necesse est, iudicibus concessisse (1).

D. Thomas (2) universim quaestioni respondet: «judicare pertinet ad iudicem, secundum quod fungitur publica potestate; et ideo informari debet in iudicando non secundum id quod ipse novit tamquam privata persona, sed secundum id quod sibi innotescit tamquam personae publicae. Hoc autem innotescit sibi et in communi et in particulari: in communi quidem per leges publicas, vel divinas, vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet; in particulari autem negotio aliquo per instrumenta et testes, et alia hujusmodi legitima documenta, quae debet sequi in iudicando magis quam id quod ipse novit tamquam privata persona.

»Ex quo tamen ad hoc adjuvari potest ut districtius discutiat probationes inductas, ut possit earum defectum investigare. Quod si eas non possit de jure repellere, debet, sicut dictum est, eas in iudicando sequi.» In particulari de causa mortis innocentis ait (3): «iudex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus vincitur, debet diligentius examinare testes, ut inveniatur occasio liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum ad superiorem relinquere iudicandum. Si autem nec hoc potest, non peccat secundum allegata sententiam ferens, quia non ipse occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem.»

Est haec sententia D. Thomae probabilis, quam probant et sequuntur Sanchez, Toletus, etc.

Est nihilominus etiam probabilis sententia Lessii, Lugonis (4) et aliorum, quae dicit: In causis criminalibus majoribus, iudex non potest condemnare eum, quem privata scientia novit certo innocentem, licet secundum publicum iudicium appareat nocens; sed debet perdere officium aut vitam.

Prob. 1.^o Quia cum solus Deus habeat dominium vitae innocentis, est intrinsece malum absque ejus auctoritate directe eam auferre, etiam jussu Reipublicae, quae jure caret auferendi vitam innocentis, sicuti jure caret, concedendi, accessum ad alienam seu non suam mulierem, licet scientiâ publica probetur esse illius cujus non est re.

2.^o Ex Exodo (5): *Insontem et justum non occides* scil. directe, quod fieret in nostro casu. Hoc argumentum eadem vi urget et convincit pro abscissione membrorum, quorum etiam solus Deus est Dominus.

Ad fundamentum pro sententia contraria respondetur. a) Iudicem debere se conformare scientiae publicae hoc sensu, quod non possit contra regulam publicam iudicare, v. g. in nostro casu ex privata scientia reum absolvendo; non quod debeat aut possit se-

(1) Ex Platelli n. 788 cum Lessio L. 2, c. 29, n. 84, Lugo D. 37, n. 42, etc., contra aliquos probabiliter negantes in omni causa.—(2) 2, 2, Q. 67, a. 2.—(3) Idem Q. 64, a. 6, ad 3.^m—(4) D. 37, sect. 4.—(5) XXIII, 7.

cundum illam judicare, contra jus vetans directam innocentis necem. b) Principium adversae sententiae stricte sumptum; nempe nihil facere posse judicem ex privata tantum scientia, nimium probare, cum ejus auctores fateantur, judicem teneri quantum possit, vitare condemnationem innocentis v. g. accusatorem repellendo, testes seorsum examinando, minis deterrendo, accusati innocentiam publice protestando, causam remittendo ad superiorem et apud eum posita judicis personâ, testem agendo, imo, si absque gravi incommodo possit, officium abdicando (1).

Alia de iudiciis, advocatis, reis, etc., vide in auctoribus theologiae moralis.

THESIS XXVIII.

Leges tributorum, prout hodie feruntur, probabiliter non obligant in conscientia nisi ut leges poenales.

161. Nota. I. Tributum in genere est res omnis, quae a subditis aut extraneis supremæ potestati penditur ad onera gubernandae recteque administrandae Reipublicae sublevanda. Tributorum alia sunt directa, quae immediate afficiunt personas pro quantitate facultatum, quas unusquisque habet, et imponuntur praediis, domibus aliisque rebus immobilibus: alia sunt indirecta, quae immediate afficiunt res, indirecte personas, et sunt quae respiciunt ventionem mercium, portarum vectigalia, etc.

II. Ex ipsa tributorum definitione fluit: a) Supremam potestatem et etiam subordinatam in suo ordine v. g. provincialem et municipalem, nisi legitime impediuntur a suprema, posse justa tributa imponere: sunt enim media necessaria ad justum et honestum finem. Tunc tributa sunt justa cum praeter legitimam auctoritatem imponentis, justamque imponendi causam, et servatur in distributione, quantum moraliter est possibile *proportio geometrica*, ita ut non plus pauperes quam divites graventur; et non majora exiguntur quam necessitas Reipublicae postulat.

b) Leges ea statuentes obligare in conscientia. Etenim expresse sacrae Litterae (2): *Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari*; et Apostolus (3): *Ideo enim et tributa praestatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal*. Deinde hae leges nihil aliud faciunt quam figere et determinare ea, quae justitia legalis naturaliter in conscientia praecipit. Ergo... Antec. prob. Justitia legalis (4) praecipit *subditis* subministrare

(1) Ex Platelli a. n. 783.—(2) Matth. XXII, 21.—(3) Rom. XIII, 6.—(4) Ex Bucceroni Inst. Theolog. mor. Vol. 1, n. 232.

Superiori, habenti curam communitatis, ea quae ad hanc curam habendam sunt necessaria; praecipit item *extraneis* debere eos compensare damna, quae mercium asportatione et venditione inferunt alienae societati; praecipit tum *subditis* tum *extraneis* debere compensare expensas necessarias in constructione, et custodia viarum, pontium, etc., quibus fruuntur.

III. Difficultas est in modo, quo obligant tributorum leges. Si justae sint certum est eas obligare ex justitia legali, quae partes ad bonum commune ordinat; an etiam ex justitia commutativa? Quoad tributa (praesertim directa) sat communis antiquorum responsio erat affirmativa, eamque acriter defendit Vazquez (1). Ratio juxta Lugonem est: «quia tributum non debetur ut poena, »sed ut stipendium jure naturae debitum Principi, ad suum statum, »et bonum publicum sustinendum: quantitas vero, nisi pacto taxetur, debet lege taxari, qua lege posita, tributum debetur jure naturae Principi.» De Lugo (2) ut resolvat quaestionem statuit tamquam certum: a) «Tributa justa deberi in conscientia eo modo, »quo lex obligat, ut solvantur: quare si lex obligat, ut solvantur »etiam non petita, et lex haec justa sit, obligatio erit in conscientia »ea solvendi, antequam petantur; quia lex obligat, et determinat »illam summam pro stipendio debito Regi ad suum statum tuendum: quod stipendium populus dare tenetur, Rege petente; si »ergo Rex petit per leges, ut solvatur absque alia nova petitione, »unusquisque debet ex se illam summam solvere.» b) Non repugnare: «ut lex tributi hoc modo sit facta, vel consuetudine legitima ita sit temperata, quamvis lex ab initio contrarium dicat. »ut non obliget, nisi ad solvendum tributum, quando exigitur.» Quod si ita esse de facto probabiliter constet, jam apparet cur leges tributorum probabiliter saltem, solum sint obligantes ad instar legum poenaliu, non enim debes solvere tributum nisi quando exigitur ad modum poenae, ita ut obligeris vel ad solutionem vel ad mulctam. «Fundamentum multorum, pro hac sententia, teste Lugone (3), est quia leges tributorum sunt ut in plurimum poenales.» Hanc sententiam jam judicabat non improbabilem Lessius (4); quid diceret nostro tempore, cum tributa justo majora reputentur, et gubernantes parum vel nihil de conscientiae obligatione curent?

162. Prob. 1.º Hodie pro quolibet tributorum genere non solum receptores, sed exactores constituuntur, qui si fraudem aliquam detegant, vel non solventem etiam directa tributa reperiant, cogunt per mulctas etiam usque ad ejus bonorum immobilium sub hasta venditionem, tributa reddere. Ergo mens legislatoris videtur esse

(1) Opusc. de Rest. c. 6, § 3, dub. 2.—(2) D. 36, n. 38-40.—(3) Ibid.—(4) L. 2, c. 33, n. 55.

obligare ad solutionem, vel ad poenam, si solutio non praestatur, maxime si poena, ut fit, defraudatum tributum cum lucro compenset. Juste enim praesumitur in hoc casu principem vel supremam potestatem nolle obligare simul ad culpam et ad poenam. In dubio, ait Navarrus (1), «leges humanae etiam praecipientes, quae poenam temporariam constituunt... ad aeternam non obligant; quatenus sunt leges ejus qui poenam statuit.»

2.º Cum Lugone (2): «quia si tributa ab omnibus subditis etiam non petita integre solverentur, excederet procul dubio quantitas illa id, quod Regi a subditis debetur, cum de facto solum, quando petuntur, sufficiant, et in ea quantitate imponantur, in qua soluta solum, quando petuntur, sufficiant: lex ergo, quae de facto cogeret ad solvenda haec eadem tributa non petita, non esset justa quoad illam circumstantiam, quia obligaret ad solvendam quantitatem excessivam supra Regis necessitates: ergo ut justa sit ea lex, et obligare possit, debet solum obligare ad eam quantitatem, quam ex tributis petitis colligi potest, non vero ad illum alium excessum, qui de facto necessarius non judicatur, praesertim cum attenta consuetudine contraria, et certitudine etiam antecedenti, quod lex in illo alio sensu non observaretur, lex illa non deserviret, nisi ad illaqueandas animas subditorum sine fructu, et per consequens ex hoc etiam capite esset inutilis, et invalida.»

163. Obj. 1.º «Subditus ille, qui tributa non solveret, non satisfaceret obligationi naturali contribuendi ad necessitates publicas...» quod videtur redundare in majus aliquorum gravamen.

Resp. Cum Lugone (3) «Hoc tamen non cogit ad negandam praedictam doctrinam. Primo, quia, quod hic in casu particulari eximatur, est per accidens: tributa autem ita debent imponi, ut saltem per se loquendo, omnes aequae contribuant, non tamen ita, ut per accidens aliqui non possint eximi...» «Secundo, quia de facto etiam multi propter nobilitatem, vel alia privilegia a solutione tributi eximuntur, nec ideo redditur tributum injustum: quia contributionis necessitas non tollit, quod ob causam justam aliqui non possint a contributione eximi. Potest autem justissima causa esse in casu nostro, ut hic, a quo non petitur, eximatur a contributione, et solutione tributi: nam eadem Respublica, et illi etiam, a quibus petitur, et qui solvunt, non sunt in hoc invitati, sed libenter consentiunt, quod ille, a quo non petitur, non solvat, quia alioquin lex ipsa gravissima esset toti populo, et singuli malunt retinere illud jus non solvendi, quando non petitur, licet ea de causa alii aliquid quando nihil solvant, et ideo ipsi, a quibus petitur, debeant in to-

(1) Manual, c. 23.—(2) D. 36, n. 41.—(3) Ibid. n. 42.

»tum contribuere, illis aliis nihil contribuentibus. Tertio denique, quia ille etiam, qui nunc tributum non solvit, quod ab eo non petitur, in aliis materiis, vel in hac etiam, solvit toties tributa, ut computatis iis, quae ex aliis tributis solvit, satisfecerit sufficienter debito naturali contribuendi Regi ad necessitates communes, et suas.»

Obj. 2.º Consuetudo in contrarium, cum non sit, ut videtur, consentiente Principe aut suprema potestate, nullius vis est.

Resp. Hoc non obstat: «quia lex saecularis a populo non acceptata, non obligat, ut suppono: consuetudo autem omnium timoratorum, qui non eunt sponte ad sollicitandum gabellarium, et offerendum illi tributum, satis clare ostendit, legem illam non esse aliter a subditis acceptatam. Nec ipse Princeps consuetudinem illam ignorat, licet nesciat postea in particulari, quando tributum non solvitur: imo ideo majora tributa, et in majori summa imponuntur, quia supponitur non esse ab omnibus solvenda, nisi quando exiguntur. Unde audivi aliquando, Prudentissimum Hispanae Regem Philippum secundum, conquerentibus ejus ministris, quod multi tributa et vectigalia defraudarent, respondisse, sinite eos; furantur enim de suo: quo responso satis indicavit, jure suo subditos uti, quando tributa non petita non solvunt (1).»

Obj. 3.º Nostra aetate, deputati ex mandato populi leges tributorum condunt. Sed mandans tenetur ex justitia commutativa ea solvere ad quae mandatarius vice mandantis se obligavit. Ergo...

Resp. 1.º Neg. *Maj.* Sunt enim deputati veluti supremi legislatores. 2.º Trans. *Maj. Min.* dist. Tenetur ex justitia commutativa, si eo modo, juxta materiae capacitatem, voluit mandans se obligare; conc. Si noluit; neg. Ergo cum hodie de facto ex modo exigendi et solvendi tributa appareat populum nolle se obligare ex justitia commutativa, non est hujus generis obligatio asserenda.

164. Ex hac sententia «recte concluditur (2) cum Lugo (3) et Sanchez (4) et ex opinione probabili S. Alph. (5) eum, qui impediret per occultationes vel alia quaevis media, ne a se illa tributa tamquam poenae exigantur, non teneri ad illa ex justitia commutativa reddenda, etsi alioquin in usu mediorum peccet, si in se haec mala sint v. g. mendacia: ratio est, quia in hypothese dicta, non acquiritur Gubernio jus strictum justitiae commutativae ad tributa, nisi post exigentiam illorum: ergo hac exigentia non existente, nec jus illud existit. Nec valet dicere fieri strictam injustitiam Gubernio, si per fraudes ac mendacia,

(1) Lugo D. 36, n. 41.—(2) Auct. cas. consc. P. V. vol. 2, sect. 3, a. 2, n. 5, quem vide.—(3) L. c. n. 44, et D. 37, n. 97, et n. 106-110.—(4) L. 2, cons. c. 5, d. 10, n. 11, 12.—(5) L. 3, n. 583, et l. 4, n. 196, ad finem et n. 237.

»impediatur exigentiam illorum tributorum exequi: nam respon-
 »deri potest cum Lugo (1) non sufficere impedire quomodo-
 »cumque per fraudem bonum alterius, ut inde rite oriatur obliga-
 »tio restitutionis; haec oriatur quidem si per se et immediate pro-
 »veniat ex fraude damnum alterius, non autem si proveniat remote
 »et per accidens; neque enim quilibet habet jus strictum, ne ponam
 »actionem remote et per accidens tantummodo damnum affe-
 »rentem.»

Finem imponam verbis Lugonis (2): «Propter haec mihi
 »semper maxime placuit consilium Patris Molinae dicta dis-
 »put. 674, num. 9, ubi in primis dicit, monendum esse populum
 »ad tributa solvenda, et ad bene, ac juste de illis judicandum, et
 »praesumendum, et ante factum consulendum esse, ne defrauden-
 »tur; post factum vero, et post defraudatum tributum, si promit-
 »tens certo vel probabiliter sibi persuadeat, in tanta tributorum
 »multitudine esse aliquid injustum quod ipse solvit, vel multitu-
 »dinem ipsam esse nimiam, et excessivam, vel se, attenta qualitate
 »suae personae, et negotiorum, ex reliquis tributis, quae non de-
 »fraudavit, competenter contribuisset ad necessitates publicas, non
 »esse cogendum a confessario ad restitutionem: hac tamen doctri-
 »na prudenter, et cum dexteritate magna utendum esse, solum ne
 »sacramentum poenitentiae reddant nimis grave, et ne viam salutis
 »praecludant multis, qui esto a Confessario obligentur, non resti-
 »tuent, et aeternam damnationem incurrunt. Caeterum curandum
 »esse, ut semper populus ad obediendum Principibus inclinetur, ut
 »et Reipublicae pax, et obedientia, ac reverentia Principibus debita
 »conservetur.»

CAPUT II.

De Religione.

165. Praenotandum. De virtutibus annexis justitiae. Illae virtutes dicuntur esse annexae justitiae, ejusque veluti partes quaedam, in quibus cernitur quidem aliquod debitum ad alterum; tamen illud est vel adeo magnum ut illi non possit satisfieri ad aequalitatem: vel est ita parvum ut non inducat obligationem legalem et strictam, sed solum moralem, quae ex quadam honestate virtutis procedit: estque talis, ut nisi illi satisfiat, honestas morum conservari non possit, vel non commode et decore possit. «Ratio justitiae, ait D. Thomas (3), consistit in hoc, quod alteri

(1) D. 37, n. 106.—(2) D. 36, n. 43.—(3) 2, 2, Q. 80, ar. unic.

»reddatur quod ei debetur secundum aequalitatem... Dupliciter
 »ergo aliqua virtus ad alterum existens a ratione justitiae deficit:
 »uno quidem modo, inquantum deficit a ratione aequalis: alio
 »modo inquantum deficit a ratione debiti.»

Prioris generis sunt: Religio erga Deum; «quidquid ab ho-
 »mine Deo redditur, debitum est, non tamen potest esse aequale, ut
 »scilicet, tantum homo ei reddat, quantum debet; secundum illud
 »Psalmi (1): *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit
 »mihi?*»

Pietas erga parentes, «per quam, ut Tullius dicit (2):
 »sanguine junctis patriaeque benevolis officium et diligens tribui-
 »tur cultus.»

Observantia erga majores, per quam, ut ait Cicero (ibid.),
 »homines aliqua dignitate antecedentes quodam cultu... et honore
 »dignantur.»

Obedientia, quae est pars observantiae, quasi *ob audientiam*,
 quod vox et praeceptum superioris audiatur et admittatur. Est
 specialis virtus quatenus ideo expresse aliquid facit, quia praecep-
 tum est.

Posterioris generis sunt: Veritas, nam ad honestum debitum
 pertinet quod homo talem se exhibeat alteri in verbis et factis,
 qualis est. Per eam, dicit Tullius (ibid.), «immutata ea, quae
 »sunt, aut fuerunt, aut futura sunt dicuntur.» Ei opponuntur men-
 dacium, hypocrisis, jactantia et ironia.

Gratitudo, prout aliquis «recompensat alicui secundum ea,
 »quae fecit... in bonis.» Tullio (ibid.) est: «amicitiarum et offi-
 »ciorum alterius memoria, et alterius remunerandi voluntas.»

Vindicta, prout aliquis recompensat in malis, per eam
 juxta Tullium (ibid.) «Vis aut injuria, et omnino quidquid
 »obscurum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur.»

Amicitia seu affabilitas, quae procurat ut conversatio nostra
 cum proximis in rebus seriis sit grata et talis qualis esse decet,
 spectata conditione nostra, personarum quibuscum agimus, nego-
 tiorum, et reliquis circumstantiis; ita ut neque nimis blande,
 neque nimis aspere in congressibus nos geramus. Ei opponuntur
 adulatio et litigium.

Liberalitas, quae moderatur amorem pecuniae rerumque ei
 aequivalentium et reddit homines faciles et promptos ad eas expen-
 dendas quando ratio dictat. Ei opponuntur avaritia et profusio.
 Debitum harum virtutum, ait Angelicus, l. c. «est necessa-
 »rium sicut conferens ad majorem honestatem, sine quo tamen
 »honestas conservari potest.»

(1) CXV, 12.—(2) L. 2, de *Invent. ant. fin.*